

**Dissertatio inauguralis medica de mictu cruento ... / [Johann Wolfgang Wedel].**

**Contributors**

Wedel, Johann Wolfgang, 1708-1757.  
Wedel, Johann Adolph, 1675-1747.  
Universität Jena.

**Publication/Creation**

Jenae : Litteris Jo. Frid. Ritteri, [1735]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/b9qq2edq>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*Q. D. O. M. B. V.*

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE

# MICTV CRVENTO

*RECTORE MAGNIFICENTISSIMO*

*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO*

*D O M I N O*

## GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE WESTPHALIAE RELIQA

*P R A E S I D E*

## IOANNE ADOLPHO WEDELIO

PHILOS. ET MED. D. PRAXEOS ET CHIMIAE P. P. ORD.  
SERENISSIMORVM SAXON. DVCVM CONSILIARIO  
ISENACENSIS. AVLICO ET ARCHIATRO ET ACAD.  
NAT. CVRIOSOR. COLLEGA

*P R O L I C E N T I A*

SVM MOS IN ARTE MEDICA HONORES  
ET PRIVILEGIA

MORE MAIORVM RITE CONSEQVENDI.

PVBICO ERVDITORVM EXAMINI EXPOSITA

*A*

## IOANNE WOLFFGANGO WEDELIO

IE N E N S I

HORIS LOCISQVE CONSVETIS

D. XX. IVLII A. O. R. M DCC XXXV.

IE N A E L I T T E R I S I O. F R I D. R I T T E R I.



DISSEMINATION OF MEDICAL

MICHAEL GRAY

GRAY, MICHAEL  
GRAY, MICHAEL  
GRAY, MICHAEL

GRAY, MICHAEL

GRAY, MICHAEL

GRAY, MICHAEL

GRAY, MICHAEL

GRAY, MICHAEL

GRAY, MICHAEL

GRAY, MICHAEL

GRAY, MICHAEL

GRAY, MICHAEL

GRAY, MICHAEL

GRAY, MICHAEL





I. N. I.

§. I.

**M**ICTVS cruentus est sanguinis cum vrina excretio, a vasorum sanguiferorum, in cauitatibus vrinariis hærentium, apertione præternaturali dependens.

§. II.

Cum sanguis per vias vrinarias secundum naturam exire haud debeat, ad symptomata excretorum affectus noster pertinet. Exire autem per has vias sanguis non posset, nisi in easdem vitiose penetret; semel autem illuc delatus cum vrina, ibidem secreta & promota, exitum acquirit.

§. III.

Penetrare sanguis ad cauitates vrinarias haud valet, nisi ex suis valis, cauitates vrinarias contingentibus, huc exeat; cum alius eius accessus haud detur. Ergo subiectum principale mictus cruenti sunt vasa iam dicta sanguifera; adæquatum autem viæ vrinariæ. Sunt autem hæc vasa sanguifera vel substantiæ renum, vel membranæ pelvis, vel vreterum, vel vesicæ vrinariæ, vel vrethræ. κατ' ἐξοχὴν autem dictus mictus cruentus potissimum vasis, substantiam renum constituentibus, debetur. Horum autem substantiæ renum



vasorum oscula tantum, vrinæ secretioni destinata, in tubulos vrinarios *Bellini* hiant; parietes autem eorum reliqui nullam cauitatum vrinariarum contingunt. Reliquorum vero iam dictorum vasorum sanguiferorum tam oscula, quam parietes, ad cauitates vrinarias penetrant. Licet igitur, iuxta quosdam auctores, ab aliis partibus, v. g. hepate, ad renes sanguis exiturus mitteretur, minime tamen exitum hic habere posset, nisi dicta modo vasa eundem hic dimitterent.

#### §. IV.

Dimittere vasa laudata in cauitates vrinarias haud possunt sanguinem, quamdiu eorundem conformatio bene se habet. Hæc enim ita est constituta, vt sanguis in iisdem circulari quidem, minime autem extra eadem penetrare, queat. Quodsi autem penetret, apertio eorundem præternaturalis in has cauitates vt adsit, necesse est, adeoque apertio hæc præternaturalis, quæ morbus conformationis est, mictus cruenti immediata est causa.

#### §. V.

Apertio hæc vasorum, renum substantiam constituentium, non nisi in eorundem osculis fieri potest, cum hæc sola tubulis vrinariis *Bellini* connexa sint. Reliqua vero vasa sanguifera recensita, ratione tam osculorum, quam parietum, cauitates vrinarias spectantium, apertionem vitiosam suscipere valent.

#### §. VI.

Oscula vasorum, substantiam renum constituentium, præter naturam aperiuntur, si fibræ, oscula formantes, vel distendantur magis, quam par est, vel penitus diuidantur. Eorundem enim spatium maius reddi aliter haud potest. Distensio hæc si exigua sit, ita vt sanguis tenuior pedetentim transire, vel transudare



sudare tantum, queat, διαπήδησις etiam hoc loco fit; sin autem in tantum eueniat, vt globuli sanguinis libere penetrare possint, ἀναστόμωσις adest; penitus diuisæ si sint fibræ, διαίρεσις præsto est. Facilius autem horum vasorum oscula in tantum ampliari possunt, vt sanguinem transmittant, quam reliquorum vasorum sanguiferorum recensitorum oscula, quia per illa vrina, per hæc autem lymphæ subtilissima tantum, transit. Vrina autem crassior lymphæ est, ergo illa oscula ampliora sunt quam hæc, & citius dilatationem, sanguini transmittendo aptam, suscipere queunt.

### §. VII.

Distenduntur fibræ osculorum ab ipso sanguine, si eiusdem pressio in oscula maior sit, quam resistentia fibrarum, tunc enim cedere coguntur, ampliantur oscula, & sanguis penetrat. Pressio sanguinis maior resistentia fibrarum osculorum fit vitio vel ipsius sanguinis, vel fibrarum. Ipse sanguis in culpa est, si eiusdem vis premens maior sit, quam naturalis fibrarum osculorum resistentia; fibrarum autem vitium est, si earum vis resistendi minor est, quam naturalis sanguinis pressio. Sanguinis vis premens maior euadit, si & repletionem vasorum maiorem inferat & impulsu maiore gaudeat. Maiorem vasorum repletionem si fecerit sanguis, & per cordis impulsu, ordinariū quoque, noua accessio sanguinis fiat, pressio maior in parietes & oscula contingit, cum cedere, ob spatium deficiens, & exire tam prompte, haud possit sanguis contentus. Præter repletionem præsentem si sanguis simul tenuior sit, eo citius in oscula irruit, & gradum pressionis auctum ibidem exserit, crassiori enim paulo resistere oscula magis queunt. Impulsus sanguinis maior, cum vim maiorem sanguini conciliet, data



simul repletionem maiorem, pressionem in parietes & oscula intendit. Semper itaque repletio vasorum maior una requiritur, ut pressio talis eveniat.

§. VIII.

Repletio vasorum sanguiferorum renalium maior oritur, si & maior sanguinis quantitas ad ea accedat, & rarefactio eiusdem, ibi contenti, fiat maior, & exitus sanguinis ex illis sit impeditior redditus. Maior sanguinis quantitas eodem temporis spatio accedens, quo ordinaria quantitas accessit, repletionem maiorem facit, quia per vasa capillaria exitum tam cito habere nequit, ergo accumulatur. Rarefactio maior si fiat in sanguine contento, amplius adfectat spatium, ut omnis liquor rarefactus, adeoque magis replet. Exitus impeditior per vasa capillaria sanguini si concilietur, adfluxu vegeto permanente, maior quantitas ut intret in vasa, necesse est, ergo magis replentur, licet ordinaria tantum quantitate in renes sanguis feratur.

§. IX.

Quantitas sanguinis maior ad vasa renalia accedit, tum si in toto magis abundet, cum si alibi eiusdem circulus enormius sit impeditus. In toto si abundet sanguis, omnia vasa magis sunt repleta, ergo & renalia, unde, tali statu praesente, reliquis causis accidentibus, tanta euadere in his vasis facile potest, ut pressio maior resistentia osculorum eveniat. Circulus sanguinis alibi enormius impeditus si sit, ut partes corporis magis notabiles quantitatem eiusdem ordinariam non admittant, tunc haec quantitas per reliquas trunci ramificationes, una cum illa quantitate, quam alias recipiebant pergere cogitur, ergo ad vasa renalia etiam sic maior eius copia adfertur.

§. X.



## §. X.

Abundat sanguis in toto, si vel copiosius generatur, quam absumitur, vel eius excretio ordinaria impedita est. Vnde tam causæ plethoræ ordinariæ huic pertinent, quam, si corpus membro quodam, brachio vel pede, mutilatum sit. Ante mutilationem enim tanta quantitas sanguinis parabatur, quæ vniuerso corpori sufficebat, post eandem autem in principio similis conficitur copia, quæ, quoniam membrum notabile deficit, reliquo corpori nimia & onerosa est. Excretio sanguinis ordinaria non fit, nisi plethora præsentē, vnde per hanc in æquilibrium redigitur. Quod si autem excretio ordinaria haud fiat, plethora permanet & augetur. Vnde suppressio hæmorrhagiæ narium, menses, lochiorum, hæmorrhoidum occasionem huic malo aliquando dedit. Ita etiam in plethoricis, loco excretionis ordinariæ, lege artis instituta venæsectio, & ob permanentes plethoræ causas, repetita seu consueta, si omittatur, sanguis nimius iterum redditur. Cessantibus autem plethoræ causis, omissa venæsectio talem effectum haud edit.

## §. XI.

Circulus sanguinis enormius in partibus aliis notabilibus impeditus redditus (§. 9.) inprimis in visceribus maioribus, v. g. hepate, deprehenditur, & ab obstructione eorum, æquabili inprimis, prouenit, vnde in scorbuticis & hypochondriacis aliquando occurrit.

## §. XII.

Rarefactio sanguinis in vasis renalibus maior (§. 8.) oritur, si aut in toto sanguine talis excitata sit, ob partes salino-sulphureas volatiles magis vel auctas, vel euolutas; aut in ipsis his vasis aliqua stasis, leuior tamen, quam quæ inflammationem efficit, ipsi inducatur,



catur, statim enim inde calor auctus, & rarefactio, sequitur. In toto enim si hæreat sanguis rarefactus, ad renes idem ut abeat, necesse est, adeoque horum vasa, ut totum corpus, magis replet; ubi facile adhuc maiorem rarefactionem subire valet, altera accedente causa. Stasis talis infertur ab ipso sanguine vel abundante, vel rarefacto, acribus biliosis & grumescentibus particulis gaudente, & vasa capillaria aut crispante, aut ex parte obstruente.

### §. XIII.

Partes tales acres biliosæ copiosius occurrunt in temperamento bilioso & atrabilario, ætate vegetiori: augentur per alimenta aromatica, spirituosæ, vini abusus, tum alius, cum absinthiaci, inprimis magis generosi; per diuretica sulphurea calidiora, balsamum sulphuris terebinthinatum, oleum anisi, succini, terebinthinæ, inconcinne adsumtum. Euoluuntur eadem ab aere feruidiore, verno, ipsisque laudatis adsumtis calidioribus, quæ & augment, & præsentem euoluunt; a vigiliis nimis, motu maiore, continuato inprimis, ab ira, excandescencia, venere nimia, a febribus ardentibus, malignis, variolis, ab inflammatione hepatis, feruidiore ex eodem redeunte sanguine ad reliquam massam, cum & in his, licet rarius, observatus fuerit mictus cruentus.

### §. XIV.

Exitus impeditior sanguinis per vasa capillaria renum (§. 8.) coincidit cum stasi (§. 12.), quæ & rarefactionem inuitat, & per se quoque vasa magis repleta efficit, unde & easdem habet causas, quas repetere non opus est.

### §. XV.

Consideratis causis repletionis maioris, illæ erunt considerandæ, quæ sanguinem tenuiorem efficiunt (§. 7.).

Fit



Fit autem sanguis tenuior, si globuli eiusdem non sufficientem habeant cohæſionem. Hæc imminuitur, si partes eorum gelatinosæ nimis vel dissoluantur, vel minuantur. Nimis dissoluuntur a salibus acribus, resolventibus, in massa sanguinea accumulatis, & euolutis. Accumulantur hæc in massa sanguinea, si vel copiosius in corpus inferantur, vel, in eodem hærentia, non rite secernantur & excernantur. In corpus copiosius inferuntur, dum vel per os assumuntur nimis copiose talia, quæ acrimonia eiusmodi gaudent, ut in alimentis nimis salita continuata, allium, raphanus rusticanus, & similia; in medicamentis gummi ammoniacum, medicamenta scammoniata, & huius generis alia, nimis frequentata; cantharides pro aphrodisiaco non rite usurpatæ, quæ & externe applicatæ, in quibusdam hunc adfectum produxerunt. Non rite secernuntur & excernuntur hæc salia viscerum depurantium culpa, ut in scorbuto & alias videtur. Quando enim successiva hæc secretio & excretio non peragitur, augentur salia & retinentur, quæ, sic collecta, postmodum intempestive simul atque semel, vel copiosius, euoluuntur, & resolutionem dictam præstant. Euolutio etiam vitiosa talis in febribus malignis quandoque occurrit, ubi a fermento illo maligno acri resolutio sanguinis & fusio, seu attenuatio, contingit, quæ hinc & mictum cruentum aliquando, sed funestum excitat.

## §. XVI.

Impulsum maiorem (§. 7.) sanguis accipit vel per fibrarum motricium cordis & arteriarum contractionem maiorem & velociorem, vel per arteriarum compressionem, per intervalla factam. Fibræ enim cordis & arteriarum motrices, contractione sua cavitates, sanguinem continentes, angustiores reddunt, & hoc ipso,

B

sanguis-



sanguinem premendo, propellunt. Si itaque fortius & velocius contrahantur, & abbrevientur, etiam impulsus fiet maior. Arteriæ repletæ si ab extra preman-  
tur, cauitas eorum angustior redditur, cum parietes proximius ad se invicem accedant, adeoque sanguis contentus vna premitur. Pressus sanguis per vias sibi destinatas vehementius & velocius ire cogitur, ergo ita quoque impulsus acquirit maiorem. Per intervalla autem compressio facta id tantum præstat, cum reple-  
tioni arteriæ spatium iterum concedi debeat, sine qua impulsus per pressionem fieri nequit. Continuata autem si esset compressio, ne admitteret quidem re-  
pletionem, adeoque impulsus efficere haud valeret.

#### §. XVII.

Maior fibrarum contractio fit ab adfluxu spirituum maiore, cum hi, vna cum sanguine, etiam naturalem faciant, si proportionatus sit accessus. Hic igitur, maior redditus, maiorem etiam contractionem pariet. Ad-  
fluxus spirituum maior consurgit vel ab ipsorum spiri-  
tuum exagitatione & efferatione, vel a fibrarum mo-  
triciū neruearum irritatione. Spiritus enim exagi-  
tati & efferati evolutionem partium spirituosarum, in sanguine latitantium, efficiunt maiorem, & ipsum quo-  
que sanguinem vna rarefaciunt, acrioremque reddunt. Ita autem & augentur spiritus, & actiuiores euadunt, aucti autem copiosius per nervos adfluunt, & contra-  
ctionem inferunt. Exagitationem & efferationem ta-  
lem spirituum animi adfectus vehementiores indu-  
cunt, ira & excandescencia inprimis. Irritatio fibra-  
rum neruearum motricium adfluxum spirituum auget, quia per hanc eorundem refluxus impeditus redditur, adfluxu permanente, vnde necessario adfluxus in fibras fit maior. Irritationem excitat vel tensio fibrarum, quæ



quæ hic ab ipso fit sanguine, quantitate & rarefactione nimia peccante, ubi & replet & distendit; vel acrimonia salina, sanguini conciliata, siue biliosa & rarefactiva simul sit, siue alia. Hanc acrimoniam quæ sanguini concilient, §. 12. & 15. recensita sunt.

## §. XVIII.

Compressionem arteriarum præstant tam muscutorum plurium motus fortior, & sæpius repetitus, quam impetus vel in renes a partibus vicinis, vel ab extra in regionem renum, factus. A pluribus musculis, simul agentibus, arteriæ contentæ fortius premuntur, & sanguinis motus velocior redditur, & ad renes qui adfertur, simili gaudet conditione. Tale quid autem fit in cursu, gestatione ponderis grauioris, aliisque laboribus vehementioribus; hinc & a clamore, cantu, tussi, vomitu, vehementioribus, & repetitis diutius, abdominis cauitas, & in hac contenti renes vna, comprimuntur. Impetum in renes & compressionem contenta abdominis, renibus vicina, faciunt in omni motu succussorio, vt saltu, equitatione, & vectura eiusmodi. In regionem renum talem impetum ab extra inferunt casus in hanc regionem, percussio & similia, si non nimio gradu contingant.

## §. XIX.

Fibrarum osculorum debilitas altera causa erat, quæ facit vt sanguinis pressio maior resistantia osculorum euadat (§. 7.). Emergit autem hæc debilitas vel a textura harum fibrarum teneriori natiua, vel a tensione maiore sæpius repetita, vel a spirituum defectu. Textura natiua fibrarum tenerior si sit, facilius superari & vltcrius debilitari possunt. Crebrior tensio ab ipso mictu cruento frequentiori peragitur, vnde & facilius postmodum redit, & contumacior euadit. De-



fectus spirituum in senibus magis occurrit, & illis morbis, qui resolutionem sanguini & spiritibus inferunt, ut febribus malignis.

§. XX.

Consideratis causis quæ distensionem maiorem fibris osculorum vasorum renalium inferunt, eas persequi debemus, quæ has penitus diuidunt (§. 5.). Diuisionem seu solutam unitatem harum fibrarum efficit vel talis nimius distensionis gradus, ut cohæsiō earum cessare cogatur; vel vulnus inflictum, vel erosio. Distensio, maior fibrarum resistentia, si continuet, & augeatur, tandem discedere particulæ cohærentes coguntur, cum non nisi definitum terminum extensionis permittant, ultra quem si pergat impetus, ruptio sequitur. Instrumentum vulnerans si ab extra ad has fibras impetu penetret, non potest non diuisio euenire. Erosio cum discriptionem fibrarum a salibus inductam notet, huius etiam ratio diuidendi patet.

§. XXI.

Nimia distensio diuidens & repletionem, & impulsu, si tanto gradu eueniant, pro causis agnoscit. Impulsus autem, a violenta compressione vasorum, ab extra facta, dependens, potissimum eandem facit, ut casus & percussio in hanc regionem vehementior, ut & gestatio ponderis nimis grauis. Mitior enim ab his factus impetus distensionem tantum producit (§. 18.) non autem penitus diuidit. Erosionem salia præstant concentrata magis, in humoribus hic subsistentibus & ichorescentibus emergentia & extrauersa. Talis subsistentia & ichorescentia inde consequens in abscessibus & vlceribus renum, hinc & ob calculum, in substantia renum natum, oritur, si hæc mala osculis dictis sint vicina, & maxime, si massa sanguinea copiosioribus



buis & acrioribus scateat salibus, ex causis (§. 15.) recensitis. Calculum autem subsistentiæ & ichorescentiæ humorum, huc accedentium, causam quoque euadere, exinde patet, quod humores huic adhærescant, & particulas fluxiles, serosas, diluentes, dimittant, hinc salia viscidis immersa augmentur, emergunt, & tandem, accumulata, liberiora & acriora & rosua euadunt.

## §. XXII.

Perspectis causis apertionem præternaturalem osculorum vasorum, substantiam renum constituentium, præstantibus, eæ adhuc considerandæ restant, quæ apertionem vitiosam reliquorum vasorum sanguiferorum, cauitates vrinarias spectantium, efficiunt (§. 5.). Membranæ pelvis igitur, vreterum, vesicæ vrinariæ, & vrethræ, vasa sanguifera, cauitates vrinarias respicientia, aliam aperturam haud sustinent, quam per διαίρεσιν. Oscula enim horum in tantum ampliari hic non possunt (§. 5.), & parietes vasorum, sine diuisione facta, sanguinem transmittere non valent. Ergo eorundem tam oscula quam parietes, per διὰρῆσιν tantum aperiuntur. Diàρῆσιν in omnibus his calculus præsens & transiens efficere valet; si eminentiis acutis gaudeat, inprimis eiusdem concurrente propulsione, vbi diuisione & vulneratio facilius peragitur, potissimum si maior ille vna sit. Potest tamen etiam per erosionem hæc diuisione fieri, si humores in quadam harum membranarum particula subsistant, acres & rosui euadant, cuius rei causa etiam his in locis euadere potest ipse calculus, alicubi persistens, simili modo ac §. præcedente dictum est. Non minus humor rosuius in gonorrhœa virulenta, vrethræ vasa aliquando ita erodit, vt sanguinem fundant, qui postmodum cum vrina exit.



## §. XXIII.

Differentia mictus cruenti a subiecto desumpta §. 3. iam tacta est. Illa autem, quæ causis debetur, ex §. 5. & sequentibus patet. Ratione sanguinis exeuntis est vel copiosus vel paucus. Durationis intuitu est vel continuus, vel per intervalla rediens; hic iterum deprehenditur vel periodicus vel vagus; ille ordinarium tempus observare solet, quo redire & cessare iterum consuevit, hic promiscue, nullo servato ordine, affligit. Effectus respectu est vel criticus vel symptomaticus.

## §. XXIV.

Adesse mictum cruentum, cum sensibus manifestus sit, nulla difficultate percipitur. Attendere tamen debemus, ne, vrina saturate rubra excreta, semper pro mictu habeamus cruento. Scorbutica enim vrina aliquando colorem sanguineum mentitur, cum tamen nihil minus quam sanguis adsit. Ostendere autem id potest linteum vrinæ intinctum, hoc enim, si a sanguine rubra sit vrina, colore rubro tingitur, quod a scorbutica vrina haud fit. Est autem sanguis exiens vel vrinæ remixtus, ipsique ruborem concilians, vel magis sincerus, vrinam turbidam & crassiusculam reddens, & fundum vasis petens, si illa per tempus quieta permanserit, ubi ex intenso rubro nigrescens euadit.

## §. XXV.

Apertionem vasorum, renum substantiam constituentium, adesse deprehenditur, si tensio & grauitas vel dolor in lumbis adsit, quantitas sanguinis maior exeat, causæ manifestæ prægressæ sint §. 10. 11. 12. 13. & seqq. recensitæ. In membranis pelvis, vel vreterum, vel vesicæ vrinariæ, vel meatus vrinari, vasa hærentia apertionem



tionem suscepisse, tam ex sede doloris coniuncti, quam ex calculi præsentia, vt & si vrethra ita laborat, ex gonorrhœa virulenta coniuncta, patebit. Præterea exigua sanguinis quantitas tunc prædit, quæ quidem etiam parua esse poterit, diapedesi in vasis renalibus hærente, tunc autem reliquæ circumstantiæ comparentes subiectum determinabunt facile.

### §. XXVI.

Quænam causa apertionem vasorum in ægro fecerit, causæ manifestæ prægressæ itidem, hinc & symptomata emergentia, monstrabunt, quæ inquirenda tunc sunt, & quærendo discuntur. Gradus mictus cruenti, & continuus sit, an periodicus, sola obseruatione constat. Criticus est, si raro & cum leuamine fiat, sine molestia notabili, & magis pro causa agnoscat sanguinis abundantiam, & excretionem alibi impeditam, vel eiusdem despumationem salutarem. Rarior tamen hic est, magis enim symptomaticus apprehenditur.

### §. XXVII.

Eventus nostri adfectus ratione vitæ & mortis variat pro diuersa eius conditione. Criticus si sit, periculosus non est, symptomaticus autem sæpius periculum vitæ minitatur, maxime si sit copiosus, sæpe rediens, vires absumat, aliaque symptomata graua inferat. Peior est, quem diæresis facit, mitior qui a diapedesi vel anastomosi dependet. Periculosus quoque est, qui a fibrarum osculorum debilitate in renibus prouenit. Senibus maxime funestus est, qui, ita adfecti, paucos post annos moriuntur, nisi & in his criticus sit. Membranæ peluis, vreterum, vesicæ, vrethræ ab acutiori calculo transeunte, si, leuius læsæ, hunc adfectum foueant, non adeo graue malum est; grauius autem deprehen-



prehenditur, si erosio in vesica, vel pelui renum, eum excitauerit vehementior.

§. XXVIII.

Continuus, vehemens, & grauioribus symptomatibus stipatus, mictus cruentus diu durare nequit: per interualla autem rediens, mitior existens, a leuiori causa ortus, aliquando breuius tempus suum absoluit, nonnunquam diutius protrahitur, causa fouente rebelliori præsente.

§. XXIX.

Ad salutem si abeat, id fit tam sanguinis, quam viarum, correctione, vel spontanea, vel arte obtenta. Ad mortem tendit vel depauperatione & resolutione sanguinis nimia, vel in alios graues adfectus mutatione. Maxime autem hoc tum alias, tum ab imprudente & sinistra eiusdem suppressione, euenire solet, vnde dolor capitis, oculorum obfuscatio, vertigo, apoplexia, epilepsia, licet rarius, hydrops, paralyxis, exulceratio renum, & alia, oriuntur. Longe durantem mictum cruentum itidem hydrops, atrophia, marasmus, excipere solent.

§. XXX.

Recte curare mictum cruentum qui cupit, apertionem vasorum præternaturalem corrigere ita debet, vt ad statum naturalem reducatur, cum hæc immediata eiusdem sit causa (§. 4.). Quoniam apertio præternaturalis osculorum in vasis sanguiferis, substantiam renum constituentibus, fit a fibrarum, oscula constituentium, vel nimia distensione, vel diuisione (§. 5.), illius correctio obtinebitur vel distensionem hanc remouendo, vel diuisas fibras vniendo. Distensio vt remoueatur, necesse est, vt pressio sanguinis nimia, quæ eam efficit (§. 7.) minuatur. Pressio sanguinis nimia  
minui-



minuitur, si & vis eiusdem premens maior ad naturalem reuocetur, & fibris osculorum debilitatis robur, seu vis resistens conueniens, restituatur, ab his enim dependet pressio illa maior. (§. 7.) Vis sanguinis premens maior ad naturalem reuocatur, si & repletionem vasorum maiorem, ab eo factam, & sanguinis tenuitatem nimiam, & eiusdem impulsus maiorem, emendemus. Nam hæc efficiunt dictam pressionem. (§. 7.)

### §. XXXI.

Repletio vasorum renalium maior, cum a sanguinis & quantitate maiore, & rarefactione nimia, & exitu ex vasis impeditiori reddito, oriatur (§. 8.) emendabitur, hæc sanguinis vitia corrigendo. Quantitas sanguinis maior, ad vasa renalia accedens, corrigitur, si in toto abundet, eum minuendo, sin a circulo eiusdem, alibi enormius impedito, dependeat, obstructionem æqualem, in parte alia notabili factam, expediendo. Ab his enim fit illa maior accessio. (§. 9. II.) Minuitur sanguis tam euacuando, quam copiosiore eiusdem generationem moderando, & ordinariam excretionem eius impeditam restituendo. (§. 10.) Euacuatio prompte obtinetur per venæsectionem, quæ in brachio institui potest commode. Copiosiore eiusdem generationem moderatur inprimis victus, parcior paulo & tenuior, & reliqua obseruando, quæ plethoræ sunt contraria, & hic conuenientia. Ordinaria excretio impedita restituitur, hoc in casu, blandis & temperatis aperientibus, decenti ratione adhibitis, vt in mensium, & hæmorrhoidum, suppressione, & aliis, docetur. Obstructio æqualis, in parte alia notabili facta, expeditur per eadem aperientia, modo dicta, cauendo calidiora & rarefactionem simul inferentia.



## §. XXXII.

Rarefactio sanguinis nimia in vasis renalibus, a toto sanguine, ita se habente; proueniens (§. 12.) correctionem suscipit per ea, quæ partes salino sulphureas volatiles sanguinis alterant, & minuunt, earumque maiorem euolutionem impediunt. Alterant has partes *absorbentia*: lapides cancrorum, mater perlar. conch. præp. corall. &c. *sulphurea fixa*: cinnabaris natua, antimonii, & alia; *nitrosa*: inprimis nitrum depuratum, dictis additum; *diluentia*, vt emulsiones ex sem. 4. frig. mai. potiones &c. *externe* vnguentum comitissæ, ol. hyoscyami, myrtillorum cum minori quantitate ol. terebinth. petrae albi, succini, & aliis, regioni renum applicatum. Minuunt easdem euacuantia, quo nomine ipsa etiam venæsectio prodest, maxime, si sanguis vna abundet, reliquaque consentiant. Febrili statu simul præsentē, etiam diaphoretica blanda, minus exagitantia, sed vna temperantia, sunt vtilia, quibus & nitrosa recte adiiciuntur, vel interponuntur. Minuunt etiam, aluo obstructa præsentē, clysteres & lenientia talia, quæ vna illis temperandis apta nata sunt, vt serum tamarindinatum, sal Sedlizenſe, & similia. Minuit etiam omissio eorum, quæ augmentum præbere solent. Vitari itaque debet vinum, inprimis generosum, alimenta aromatica & spirituosā, diuretica calidiora. (§. 13.) Euolutio partium salino sulphurearum volatiliū impeditur, si & vitentur causæ non naturales §. 13. recensitæ, & febribus, atque inflammationi hepatis &c. per apta remedia contraeatur.

## §. XXXIII.

Eadem rarefactio in vasis renalibus, si a stasi aliqua leuiori ortum trahat, hanc expediendo corrigitur. Expediunt stasim hanc eadem, quæ & quantitatem sanguinis



nis abundantem minuunt (§. 31.) & rarefactionem compescunt, acres biliosas & grumescences eiusdem particulas corrigunt & minuunt. (§. 32.) Exitus sanguinis ex vasis impeditior, repletionem inducens, quia cum stasi coincidit, eodem emendatur modo.

## §. XXXIV.

Vis premens sanguinis maior ab huius tenuitate nimia si proveniat (§. 30.) hæc erit emendanda. Emendant tenuitatem hanc, quæ partium gelatinosarum globulorum sanguinis dissolutionem nimiam impediunt, earumque defectum restituunt. Ab his enim dependet nimia tenuitas. (§. 15.)

## §. XXXV.

Dissolutio hæc cum a salibus acris resoluentibus accumulatis & euolutis fiat, hæc salia præsentia corrigi & minui, eorumque accumulatio & euolutio nimia impediri, debent, tunc enim dissolutio nimia cessabit.

## §. XXXVI.

Corrigunt salia acris resoluentia, quæ eadem vel obtundunt & inuoluunt, vel absorbent. Obtundunt & inuoluunt *sulphureo-aquea*, vt lac ouillum, lac caprinum vel per se, vel cum aliis scopo aptis, vt lap. hæmat., terra sigillata, bolo armena &c. vt & in decoctis; emulsionibus ex sem. 4. frig. mai. cum aqua v. g. agrim. millefol. plantag. centinodii; mucilaginosæ: rad. alth. symphyt. sem. plantag. cydonior. in decoctis; *dulcia pulposa* & *alia temperata*: caricæ pingues, iuiubæ, passulæ maiores, glycyrrhiza; *sulphurea balsamica blanda*: terebinthina cum vitello oui soluta, & aqua quadam destillata, v. g. fragorum, agrimon. plantagin. millefol. &c. addita, in mixturam lacteam redacta; fuccinum, trochisci



chisci de carabe, hypericum; *sulphurea anodyna*: eff. anodyna, extractum anodynum, sem. hyoscyami albi, trochisci de carabe cum opio, trochisc. alkek. cum opio.

### §. XXXVII.

Absorbent hæc salia, & gelatinosas partes ad dissolutionem inhabiliores reddunt, *terrea, traumatica, adstringentia*: rad. symphyt. plantag. torment. chinæ, herb. polygon. virg. aur. millefol. bellid. min. agrimon. alchimill. heder. terrestr. pilosell. plantag. veronic. portulac. bursæ pastor. flor. hyperic. rosar. rubr. balauft. millefol. bell. rubr. pap. rh. bolus Armena, terra sigillata, terra Iaponica, lap. hæm. corall. rubr. alb. vnicorn. fossil. fangu. draconis, pulu. stypt. Gutmann. Heurn. Wedel. extr. agrimon. torment. tinctura mart. adstr. sulph. vitrioli, antiphthisica, terræ Iapon. eff. traum. Wed. potio Sylvii ad hæmorrhagias. In adstringentium autem vsu cauendum, ne grumescat sanguis nimis, & alia mala inferat, vnde adiicienda sunt blanda resoluentia, & vim adstringentem temperantia, hinc pulueribus adduntur lap. cancror. mumia &c. sic lap. hæm. bolus Armenacum lacte ouillo, vel caprino, exhiberi solet, sic decocta cum lacte quoque fieri solent, vel talia ex dictis seligi, quibus partes eiusmodi resoluentes blandiores iamdum insunt.

### §. XXXVIII.

Minuunt hæc salia partim laudata iam corrigentia, si enim vis eorundem imminuta & correctæ sit, efficaciam noxiam amifere, & sponte per organa excretoria excernuntur; partim autem per purgantia minui possunt, maxime sero copiosiore vna præsentē, & intermedio tempore, quando abest hic fluxus. Laudantur hoc nomine cassia rec. extracta, pulpa tamarindorum, myro-



myrobolanæ, & inprimis rhabbarum, quod vel cum succo plantaginis, vel cum terebinthina in pilulas reductum adhibetur, & ita, vt ob vim roborantem & lenientem tam corrigat, quam successiue atque blandissime educat, quod & durante mictu cruento contumaciori sic locum habet. Fortiora autem caute vitanda sunt. Hinc potius id agendum, vt accumulatio & euolutio horum salium recte impediatur, cum & sic imminutio eorundem fiat.

### §. XXXIX.

Accumulatio recte impeditur, si primo §. 15. recensita haud adsumantur; & cantharides externe applicatæ statim remoueantur; deinde ordinaria eorundem secretio & excretio procuretur, viscera temperatis aperientibus, &, scorbutis simul præsentibus, antiscorbuticis similibus, referando & roborando. Hoc ipso autem euolutio simultanea & intempestiua salium dictorum præcauetur, ab hac causa proueniens. Quod si autem a fermento maligno acris id in febribus eueniat, diaphoretica & bezoardica fixa & roborantia, iunctis nitrosis, vtilia sunt.

### §. XL.

Defectus partium gelatinosarum globulorum sanguinis (§. 34.) restituitur tam sponte, si dissolutio cesset, quam per alimenta, partes tales blandas continentia, & bene nutrientia, decenter adsumta.

### §. XLI.

Impulsus sanguinis maior, pressionem maiorem efficiens cum emendari etiam debeat (§. 30.) id obtinebitur 1) velociorem & maiorem cordis contractionem ad naturalem reducendo, 2) arteriarum com-



pressionem, per interualla factam, remouendo, cum ab his contingat. (§. 16. 17.) Contractio maior & velocior reduci in ordinem potest, spirituum adfluxum maiorem temperando, & quidem si & vitentur animi adfectus vehementiores, & fibrarum motricium neruearum irritatio tollatur. Irritationem hanc si sanguis vel abundans, vel rarefactus, faciat, ille vt §. 31. docetur, hic autem per ea, quæ §. 32. & 33. proposita sunt, corrigendus erit. Sin autem irritatio ab acrimonia salina dependeat, & quidem rarefactiua simul, seu biliosa, per eadem tollitur, §. 32. & 33. recensita; ab acrimonia alia autem si foueatur, eadem utilia erunt, quæ §. 36. 37. 38. 39. enarrauimus. Arteriarum compressio remouetur causas eiusdem §. 18. enumeratas, remouendo & præcauendo.

#### §. XLII.

Perspectis iis, quæ vim sanguinis prementem maiorem ad naturalem reuocant, ea iam delibanda sunt, quæ fibris osculorum debilitatis robur, seu vim resistentem conuenientem, restitunt. (§. 30.) Tenerior fibrarum textura natiua si adsit, vel earum debilitas a crebriori mictus cruenti accessione confurgat (§. 19.) profunt roborantia, absorbentia, traumatica, & adstringentia, quæ & salia acria & resoluentia corrigunt, & fibris robur conciliant. Hæc §. 37. iam recensita sunt, & scopo huic simul satisfaciunt. Hinc matura & decens mictus cruenti curatio fibrarum robur vna restituit & conseruat, vt neglecta maiorem earum debilitatem promouet. Defectus spirituum in senibus si debilitatem hanc inferat, restauratio eorum per alimenta temperata utilis est. A resolutione sanguinis autem maligna dependens, non nisi aptis bezoardicis,



cis, illam præcauentibus, mature adhibitis, superari potest.

### §. XLIII.

Ante laudatis itaque fibrarum osculorum distensio nimia corrigitur. Sequitur harum fibrarum osculorum diuisio, altera apertionis præternaturalis causa, quæ postulat, vt fibræ diuisæ vniantur. (§. 30.) Si itaque vnitas soluta a distensionis gradu nimio facta sit §. 20. & 21., & distensionis causa adhuc duret, hæc erit remouenda, vt superius ostensum est. Cessante autem hac causa, traumatica, adstringentia §. 37. adducta, hinc & sulphurea balsamica blanda, §. 36. commemorata, profunt, vt ichorescentia prohibeatur, & consolidatio promoueatur.

### §. XLIV.

Vulnus his partibus ab extra illatum si sit, ex suis loculis tractari debet, vt decet. Erosio diuisionis causa si sit, & ab abscessu vel vlcere, ibidem hærente, dependeat, renum vlcus, quo de seorsim agitur, sanandum est. Ichorescentiam humorum rosivam, a calculo in substantia renum nato ortam, haud aliter corrigere valemus, quam ipsa horum vlcera. Nam calculi huius eductio fieri nequit, nisi arenosus tantum sit, & permittat, vt resolui eousque queat, vt arenulæ disiunctæ in peluim ferantur & excernantur. Vnde traumaticis, & balsamicis blandis, mitiora resoluentia eo magis interponi & iungi debent.

### §. XLV.

Atque ita apertio vasorum, renum substantiam constituentium, præternaturalis curatur. Membrana



næ autem pelvis, vreterum, vesicæ urinariæ, & vrethræ, vasa, cum per diæresin tantum aperta præternaturam reddantur (§. 22.) vnionem requirunt. A calculo itaque, eminentiis acutis gaudente, si illa fiat, traumatica & blande resoluentia itidem opem ferunt. Erosio autem si illam induxerit, itidem ea tantum, quæ vlceribus renum & vesicæ profunt, hic conueniunt. Speciatim autem, vesica ita adfecta, etiam iniectiones ex terebinthina cum vitello oui soluta aliisque concinnata, vt in vesicæ vlceribus docetur, locum habent. In gonorrhœa virulenta vasa vrethræ erosa, per eadem, quæ ipsi gonorrhœæ debentur, sanari solent. Diæta, hic utilis, partim recensita iam passim est, partim ex causis manifestis, reliquisque circumstantiis, determinari potest facile.

S. D. G.

